

G O T H I A.

eorum mores mitiores essent, inire curavit. Hæc ille. Vnde ab illo tempore, quo monarchia in regnum Sueciæ introducta est, utraq; gens, Sueci videlicet & Gothi, ut plurimum uni paruerunt regi; & ita quasi in unam gentem coaluerunt; quamvis aliquoties, ob virtutum æmulationem, reges sibi separatim præfecissent, quæ tamen simultas non diu duravit, quin ad pristinam redeuntibus concordiam, communibus armis communes arcerent hostes. Sed admiratione certe non indignum videtur, Gothos, (qui in exteris nationibus, ob fortitudinem bellicam adeo fuerunt clari, ut toti ferè Europæ formidabiles extiterint) Suecis in patria adeo cessisse, ut antiquissimæ Vestrogothorum leges affirmant, penes Suecos jus esse regem in utroque regno eligendi, tum rejiciendi.

*Gothia Occidentalis.*

*Diviso.*

*Vestrogothia. Fertilitas.*

Dividitur Gothia, in Occidentalem & Orientalem. Gothiæ Occidentalis provinciæ sunt, Vestrogothia, Dalia & Vermelandia, cui olim adnumerabatur & Hallandia. Vestrogothia regio est plana & fertilis; cedit tamen fertilitate Vplandiæ, Vestmanniæ & Sudermanniæ: quemadmodum hæ vicissim Vestrogothiæ pecorum abundantia. Vt enim illarum colonis præcipua lucra sunt ex agricultura: ita hujus à pecoribus. Fluviorum quidam versus septentrionem, in lacum Vener illabuntur, ut Tida, Lida, Nos, qui rursus per magnum illum Trolhetam fluvium, duobus ostiis, apud *Elffzborg* & *Kongelff* in Codanum sinum exoneratur: quidam vero versus meridiem in eundem sinum, ut Eda & Vist. Civitates habet Gotheburgum emporium, Scaram Episcopalem, Mariæstadium, Lidecopiam: habet & oppida, Falecopiam, Skedvi, Hio, *Bogesund*, Brettam & Ludosiam veterem.

*Civitates.*

*Oppida.*

*Dalia.*

Dalia inter Lacum Vener & Norvegiæ sita, plerisque in locis montosa est. Habet autem lacus & fluvios piscosos: pascuorum etiam ubertate gaudet singulari, unde & armentosa est, bovesque cæteris grandiores profert.

*Vermelandia.*

Vermelandia inter Gothicas regiones postremò exulta est, colonias illuc primum ducente Olavo Tretelia. Regio montosa & sylvosa est, ferri mineras habet, cuprique venam satis divitem, nuper inventam; lacusque piscosos, fluviosque salmonum captura nobiles. Civitatem habet Carolo stadium, à Carolo IX, in loco prius Tingvalla nominato, conditum.

*Hallandia.*

Hallandia secus Codanum sinum extensa Vestrogothiam ab eo se jungit. Ejus civitates sunt Hålmstadium, Laholmia, Falkenburgum & Varburgum, præcipua iis mercimonia subpeditantibus Vestrogothia & Smalandia, à mari se junctis; cum ipsa Hallandia alicubi vix sesquimilliare habeat in latitudine; tria vero ad summum, ubi est latissima. Nostra tempestate paret regi Daniæ.

*Gothia Orientalis.*

Gothiæ orientalis provinciæ sunt: Ostrogothia, Smalandia & Oelandia, quibus olim ad-

numerabantur & Gotlandia, Scania & Blekingia. Ostrogothiam à Vestrogothia Veter lacus dirimit, ejus vero orientale latus mare pulsat Suecicum. Regio majori ex parte plana est, fertilitate cæteras provincias antecellens: quæ eam etiam ipsam superare Vplandiam quidam autumant; inde conjecturam capientes, quod ex ea major frumentorum copia ad exterarum transportatur regiones, quam ex Vplandia: non autem perpendentes ingentem quam Vplandia frumentorum copiam montanis, metalla fodientibus suppeditat. Sed si quis penitus animadvertit utriusque provinciæ colonorum, ad sementis proportionem, annuas, quas sufferre possunt, expensas, certius ea de re judicium dabit. Est tamen inter reliquas Sueciæ provincias amœna, cunctisque commoditatibus ad humanæ vitæ sustentationem necessariis (vino & sale exceptis) dives. Habet enim præter frumentum optimum, pecorum abundantiam, nec desunt mellificia, variarum ferarum venationes, aucupia, piscaturæque, & alia, quæ singula enumerare locus vetat. Nec caret mineris, in montanis Godegard, Hellestberg & Vongaberg. Ejus civitates sunt, Vadstenum, arce, cœnobioque divæ Brigittæ celebre. Habet præterea Scheningiam olim claram, nunc in oppidi formam redactam: Lincopiam Episcopalem, Norcopiamque ac Sudercopiam, emporia.

*Ostrogothia.*

Smalandiam ab Ostrogothia Holavedh sylvæ disternat. Regio ampla satis, utpote quæ in circuitu 95 complectitur milliaria Germanica: ejus vero tractus majori ex parte sylvofus est: gleba tamen colonorum labores satis ubere compensat fecunditate; æquali videlicet fertilitate cum vicinis provinciis Scania & Blekingia. Pecoribus abundat, unde & denominationem traxisse videtur: pecora namque sua lingua Smala vocant, unde Smalaland, terra pecoribus abundans, quod nomen usus contraxit in Smaland. Cumque reliquæ Sueciæ provinciæ, iis solis exceptis, ubi fodiendis metallis invigilant, incolis pecora ad sufficientiam subministrant: Smalandi, ut quadrupedum, ex annua fœtura, gregum incrementa relevent, maximam quotannis armentorum copiam, in vicinam Daniæ vãnundant, unde non parum augentur famosa illæ boum myriades, quas Daniæ quotannis Germaniæ Belgioque subministrare perhibetur. Lacus piscosos pene habet innumeros: inter quos tamen præcipui sunt Bolm, Viofter, Moklen, & Asnan.

*Smalandia.*

Fluviorum præcipui sunt Nissea, Laga, Helga, Marboa & Æm. Regio in plures partes dividitur, quarum tamen præcipuæ sunt Tieherad, Verendia, & Tiustia, Finheidia & Mauringia Longobardorum expeditione à Paulo Longob. celebrata: quæ singulæ plura sub se complectuntur territoria. Verendiæ autem ab antiquo tempore singularia fuerunt jura, à reliquorum legibus discrepantia, quæ hic, cum multis aliis

*Fluvii.*